



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Prophetia Apocalyptic S. Joannis Apostoli

Kircher, Heinrich

Coloniæ Agrippinæ, 1676

Verba Apocalypseos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39100

TRACTATUS I.

IN DIMIDIUM CAPITIS I. APOCALYPSEOS.

Dividamus hoc Caput in duas partes : quarum prima est Præfatio Joannis : altera est Visio proœmialis. Prima illarum partium est ab initio Capitis ad versum usque duodecimum.

VERBA APOCALYPSEOS.

(Capit. I. Versu 1.) *Apocalypsis IESV Christi, quam dedit illi DEVS, palam facere servis suis, qua oportet fieri citò : & significavit, mittens, per Angelum suum servo suo Ioannì, (v. 2.) qui testimonium perhibuit, verbo DEI, & testimonium IESV Christi quæcumque vidit. (v. 3.) Beatus qui legit & audit verba prophetiae hujus : & servat ea, qua in ea scripta sunt: tempus enim prope est (v. 4.) Ioannes septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia. Gratia vobis & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est ; & à septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt ; (v. 5.) & à IESV Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ : qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris, in sanguine suo, (v. 6.) & fecit nos regnum & sacerdotes Deo & Patri suo : ipsi gloria & imperium in secula seculorum : Amen. (v. 7.) Ecce, venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Et plangent se super eum omnes tribus terræ : Etiam : Amen. (v. 8.) Ego sum a & u, principium & finis, dicit Dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est, omnipotens. (v. 9.) Ego Ioannes frater vester, & particeps in tribulatione, & regno, & patientia in Christo IESV, fui in insula, quæ appellatur Patmos, propter verbum DEI, & testimonium IESV : (v. 10.) Fui in spiritu in Dominica die, & audivi post me vocem magnam tamquam tubæ, (v. 11.) dicentis: Quod vides, scribe in libro : & mitte septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia, Epheso, & Smyrna, & Pergamo, & Thyatiræ, & Sardis, & Philadelphia, & Laodicia.*